

siones præcipua est, quod non fideles ad Sacerdotem oblationes tradituri, sed Sacerdos ad fideles per Ecclesiam discurrens oblationes accepturus accedat. In id veluti superstitiosum, indecorum, et toti retro antiquitati adversum acriter Doctores invehuntur. Et Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XIII.* statuens, *ut in posterum id nullo modo fiat, sed Sacerdos se constituat in loco, quo pervenire valeant illi, qui offerre voluerint, et si fuerit necessarium multiplicentur Sacerdotes ad recipiendas oblationes.* Consonat eadem Synod. Valent. *Sess. III Tit. III. cap. 8.* Quid quod Dominica Oratio quam quotidie legendam decreverunt antiqui Synodorum Patres in solemnioribus Ecclesiæ festis mussitetur? Quid quod summissa voce recitetur, ut musicorum schola loco sanctissimæ preceationis theatralibus modulis, theatralibus gesticulationibus, theatralibus compositionibus, theatralibus cantiunculis fidelium mentes depascat? Quid quod citharædorum eadem societas, eisdem citharis, eisdemque modulationibus, quibus vespere aderat in orchestra fideles à Divinorum contemplatione, ad spectaculorum illecebras mane convertat? Dominicam Orationem clara voce canendam in Missis decantatis ipsa ejusdem ritus ratio demonstrat. Missalis Romani Rubricæ §. *XVI. num. 3.* præscribunt, et Synod. Compostel. an. 1565. *Act. II. Decret. 23.* decernit. Id quod intelligas etiam de Symbolo sicuti Miss. Rom. Rubr. *ibid.* monent. Et in Compil. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XXIV. cap. 10.* sancitur, ne dum Symbolum in Missa cantatur alternus organi sonitus audiatur. (*)

(**) XXVI. Porro in Ecclesia ideò cantus institutus est, *ut populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et religiosa pietatis, ac devotionis moderatione piorum auditorum mentes ad Divinæ Majestatis cultum, et celestia desideria excitari queant.* Hæc Syn. Tolet. an. 1565. *Act. III. Ref. cap. 11.* hodierna tamen modulatio confusa est; neque perennis instrumentorum strepitus quicquam percipere sinit, neque inæqualis prolatio verborum attentioni locum relinquit. Pro coronide Ecclesiasticæ hodiernæ musicæ patronis exhibere lubet ejusd. Syn. Tolet. laud. *Cap. 11. Caveant Episcopi, ne dum in choro musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum, et aliorum, quæ cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepe liatur. Sic denique musicam, quæ organica dicitur, retineant, ut eorum, quæ cantantur verba, et intelligi possint, et potius pronuntiatione, quam curiosis modulibus audientium animi divinis laudibus adficiantur. Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicæ sonus, quid theatrale, aut impudicos amorum, bellicorumque clasicos modulos referat in Dei laudibus decantandis.* Et Compil. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XXIV. cap. 18.* à Cl. Ant. Augustino constituto decernit, *ut Sybille carmina, et pastorum nugas, aliasque vulgares cantinelas nullo tempore in Ecclesiis cani permittantur.* Tædet hac in re amplius immorari; duo tamen animadvertere placet. 1. Quod Ecclesiastica Officia ab omni superstitionis specie sunt expurganda: Ead. Syn. Compostel. *Act. II. Decret. 13.* Etenim *indecorum est, atque etiam impium uti iis cæremoniis, quas superstitiosus potius cultus, quam vera Religio innoxit:* Ead. Syn. Valent. *Sess. III. Tit. III. cap. 6.* 2. Quod inter Sacerdotes celebrantes nulla unquam difformitas adpareat: Syn. Tolet. *IV. Can. II. Bracar. I. Cap. IV. et V. alias Can. XXI. et XXII.* Tolet. *XI. Can. III.* et præf. Hispal. *Cap. XII. et XXII.* (*)

CAPUT QUINTUM.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I. *Ordinis* vocabulum apud veteres Ecclesiæ Patres haud raro eo sensu accipitur, quo Hierarchiam denotat, sive sacrorum ministrorum dispositionem, et principatum, quo inferiores superiori parent, eidemque subjecti sunt; (***) *Oportuit enim Ecclesiam, quæ Sanguine Christi constructa fuit, pulcherrimo quodam ordine constitutam esse, ut quemadmodum in rebus natura constantibus, ac etiam in celestibus alia aliis sunt superiora, ita in Ecclesia, quæ inter hæc medium statum obtinet, quædam aliis potestate, et dignitate præstarent.* Syn. Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. cap. 29.* (*) atque hinc, qui Ecclesiastica pollent auctoritate, in ordine constituti dicuntur. Porro hic strictiori notione sacram denotat Ecclesiæ cæremoniæ, qua Episcopi manuum impositione, aliove sensibili signo ad sacra ministeria aliquos deligunt, et initiant.

II. Jam verò ejusmodi sacra cæremonia Sacramenti quoque rationem habet; quo intuitu rectè definitur: *Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi ejus Corpus, et Sanguinem, peccata remittendi, vel retinendi, necnon Sacerdotio ex officio deserviendi.* Trident. *Sess. XXIII. de Sac. Ordinis cap. 1.* Ejusmodi Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum, omnesque veri novæ Legis Sacramenti characteres præseferre late demonstratum habebitis in Tract. Theologico *de Sacramentis in specie.*

III. Non omnibus et singulis æquè superioribus, atque inferioribus ordinibus Sacramenti rationem convenire, sed tantummodo Episcopatu, Presbyteratu, et Diaconatu, qui divinæ sunt institutionis, concurs pæne est Canonistarum sententia. Et sanè, uti *Libro super.* jam satis demonstravimus, Hypodiaconatus, aliique inferiores ordines non nisi Ecclesiasticæ institutioni tribuendi sunt, ac tantummodo eo sensu, quo in Diaconatu tanquam in suo fonte, et origine, unde tanquam surculi emanarunt, quodam sensu institutionis esse divinæ dixeris. Porro hanc quætionem definire noluit Syn. Trid. quum *Sess. XXIII. Can. VI.* definiens, *in Ecclesia Catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris.* dedita opera ab adponenda voce *Diaconis* abstinuerit, ne illorum Theologorum, et Canonistarum sententiam reprobare videretur, qui inferiores ordines à Christo Domino institutos fuisse autumant.

IV. Jam verò in singulis Ordinibus, ac potissimum in superioribus plures gradus distingui possunt; uti in Diaconatu Archidiaconi, Presbyteratu Archipresbyteri, Chorepiscopi, Parochi &c. ac demum, et præcipuè in Episcopatu, scilicet Metropolitanus, Primatus, sive Exarchi, Patriarchæ, et supra reliquos Romani Pontificis, cujus in universa Ecclesia Primatum non humani, at divini juris, non honoris modo, et dignitatis, verum et potestatis, auctoritatisque *Libro superiori Tit. IX.* satis vindicavimus. Plura de Sacra ordinatione eodem superiori *Libro* dedimus, ac præcipuè *Tit. XXIV.* ubi de moribus, scientia, ætate, aliisque ordinandorum requisitis conditionibus, de interstitiis, de Titulo, ac de proprio ordinationis Episcopo, de Litteris Dimissorialibus, ac tandem de Temporibus ordinationum non pauca disseruimus. Illud igitur hic superest, ut quæ ad Ordinem, prout est Sacramentum, spectant breviter explicentur.

V. Ac primo de materia. Nullus unquam dubitavit, *manuum impositionem*

essentialem esse Sacramenti Ordinis materiam, formam verò ejusdem comitem orationem. Illud autem addunt Morinus, aliique non imi subsellii Theologi, et Canonistæ, nimirum in sola manuum impositione *essentiam* Sacramenti Ordinis esse constitutam: id quod pluribus demonstrant.

1. Apostolus in duplici ad Timotheum epistola, ubi de ejusdem sive in Episcopum, sive in Presbyterum ordinatione agit, non nisi manuum impositionis meminit: atque adeo soli manuum impositioni gratiæ collationem adscribit. *I. IV. v. 14. II. I. v. 6.* Idem prorsus dicas de S. Luca, qui *Actorum VI. v. 6.* Diaconorum referens ordinationem hæc habet: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* (**). Sed adversæ sententiæ patroni reponunt, non omnia, quæ ab Apostolis gesta sunt, in Sacris Litteris relata esse. (*)

2. Ad decimum usque sæculum per solam manuum impositionem Episcopi, Presbyteri, et Diaconi ordinati sunt: nulla enim vel Sacræ unctionis, vel instrumentorum porrectionis mentio occurrit in omnibus Ritualibus, et Sacramentariis sæculo X. antiquioribus. (**). Verùm alii ante decimum Ecclesiæ sæculum, imò sæculi VII. initio Episcopi inaugurationem per Orarii, Annuli, et Baculi; Presbyteri per Orarii, et Planetæ; Diaconi per Orarii, et Albæ traditionem peractam inveniunt in Syn. Tolet. IV. an. 633. *Can. XXVIII.* alias *XXVII.* (*)

3. In plerisque Orientalibus Ecclesiis non modo antiquitas, sed et hodiernum in Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum ordinationibus sola adhibetur impositio, neque unquam Latinis improbatæ sunt ejusmodi ordinationes. (**). Sed hoc ideo à Latinis permissum contendunt adversarii, quia neque exploratum, neque definitum hucusque est, quænam sit *essentialis* ordinationis cæremonia; in rebus autem, ajunt, nondum definitis, cuiquam sine piaculo liberè sentire nunquam improbat Ecclesia. (*)

4. Concilium Carthag. IV. *Can. II. III. et IV.* Episcoporum Presbyterorum, et Diaconorum describens ordinationem, non nisi manuum impositionem memorat, nulla adjecta porrectionis instrumentorum mentione, quam tamen Canonibus sequentibus expressè exhibet, quum de Ordinatione inferiorum Clericorum loquitur. (**). Verùm alii parum fidunt huic Concilio Carthag. nomine IV. gravem enim apud eruditos hujusmodi Concilii Canones ingerunt falsitatis suspicionem. Videsis Berardi in *Grat. P. I. Cap. XV.* quin et *Can. II.* in Episcopi ordinatione Evangeliorum Codicem super inaugurandi scapulas adponendum decernit. (*) Eadem habet de Diaconis Syn. Ancyrana *Can. IX.* et Syn. Nicæna *Can. XIX.* Diaconissas in censu laicorum habet, quod nullam recipiant impositionem. (**). At Synodi Ancyrana, et Nicæna Diaconi ordinationem recensent per manus impositionem; sed non solam hanc esse ordinationis cæremoniam decernunt. (*)

5. Concilium Trident. *Sess. XIV.* de Extrema Unctione *cap. 3.* constituit ejusdem Sacramenti ministrum esse aut Episcopum, aut Sacerdotes ab Episcopo per manuum impositionem rite ordinos. (**). Sed Trident. *ibid.* Episcoporum, et Presbyterorum ordinationem ex instituto non tradit; eam tamen per præcipuam ordinationis notam, quæ proculdubio est manus impositio, voluit duntaxat indicare. (*)

VI. Neque dicas Eugenium IV. in *Instructione pro Armenis* edita porrectionis duntaxat Instrumentorum mentionem injecisse. Eugenii enim *finis* ille tantummodo fuit, Armenos nimirum id docere, in quo ab Ecclesia Romana dissidebant, minime rejecta, quam sanè tacitè intelligebat, manuum impositione, utpote quæ apud ipsos jam usurpabatur, et in qua cum Ecclesia Romana consentiebant. Videsis Morinum de *Sacris Ordinatis. P. III. Exercit. XI. cap. 1. et Exercit. XIV.*

cap. 1. (**). Verùm reponent fortasse adversarii; si Latini nunquam improbarunt Græcis instrumentorum omissionem in ordinatione, sicuti ait Selvagius supra §. *V. n. 3.* 2. cur Eugenius IV. ad erudiendos simul, et uniendos Armenos hujusmodi instrumentorum traditionem profert ab ipsis amplectendam? (*)

VII. De Forma sat constat, eam scilicet esse Orationem, quæ manuum impositionem comitatur. Et sanè 1. in Actibus Apost. Oratio Manuum impositioni conjungitur; 2. ex antiquissimo Ecclesiæ instituto manuum impositio nunquam ab Oratione disjuncta fuit; ac 3. Conc. Carthag. IV. Sacramentarium Gregorianum, aliique veteres, qua latini, qua græci Rituales libri non alia referunt verba ab Episcopo ordinante pronuntianda, quam Orationem, quæ impositis manibus recitaretur.

VIII. Hactenus explicata eo fine protulimus, ut inde colligamus, primam manuum impositionem, quam nulla comitatur forma, tum tertiam, quæ adjuncta habet verba ab Episcopo pronuntianda: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* tum et Sacrum chrisma, quo ordinandi inunguntur ab Episcopo dicente: *Consecrare, et sanctificare digneris Domine &c.* tum demum et instrumentorum porrectionem, quæ adnexam habet formam: *Accipe potestatem &c.* non esse, nisi ritus accidentales, ac cæremonias ab Ecclesia institutas, quo expressius varii Sacramenti Ordinis effectus significarentur. Hujusmodi autem ritus omninò omittendi non sunt, tum quia ab Ecclesia sanciti, et pluribus ab hinc sæculis religiosissimè adhibiti, tum verò præcipuè, quod non desunt, qui æquè in manuum impositione, ac in instrumentorum porrectione adæquatam, ut Theologi loqui amant, Sacramenti Ordinis materiam constituunt.

IX. Quod tandem ad Hypodiaconatum, aliosque inferiores ordines attinet, in explorato est, traditionem instrumentorum, ac verba, quæ tunc recitari solent, materiam, et formam eorundem constituere. Id liquet tum ex Conc. Carthag. IV. *Can. V. VI. VII. VIII. et IX.* tum ex Pontificalibus æque antiquis, ac recentioribus Ecclesiæ Occidentalis. (**). Et quidem quantum attinet ad Hypodiaconatum, benedictionis, id est precatationis una cum vasis ministerii meminit Syn. Tolet. VIII. an. 653. *Can. VI. sicut in quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, et sacra dignoscitur consuetudo substare prolata.* (*) Porrò in Ecclesia Græca etiam per manuum impositionem conferuntur, uti ex ejusdem Euchologiis perquam manifestum est.

X. Solum Episcopum jure divino legitimum esse sacræ ordinationis ministrum fuse demonstrant Theologi: et nonnulla nos etiam delibavimus *Lib. super.* ubi et late explicatum invenies, quisnam, quod ad Ordinationem attinet, proprius ejusque Episcopus dicendus sit. Illud hic duntaxat innuere juvat, nimirum Hypodiaconatus, aliorumque inferiorum ordinum ministerium posse à R. Pontifice simplici Presbytero delegari. Conc. Trid. *Sess. XXIII. Ref. cap. 10.* in hunc modum decernit: *Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quantumvis exentis, non liceat in posterum... etiam si nullius Diæcesis, et exenti esse dicantur, cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, Tonsuram, vel minores ordines conferre.* Profectò Abbates Cistercienses Bullas Pontificias producunt, quibus ipsis imperiitur facultas Hypodiaconatum, aliosque inferiores Ordines conferendi: quapropter Hypodiaconatus, inferiorumque Ordinum veluti ministri extraordinarii sunt censendi; (**). si re vera talia emanarunt à Sede Apostolica privilegia, de quibus jure merito dubitant eruditi. Videsis Hallier de *Sacr. Elect. Sect. V. de Ministr. Alt. art. II. §. 2.* (*)

XI. Eadem Synodus Trident. *Sess. XXIII. Can. II.* anathema quidem in eos

infigit, qui negaverint esse in Ecclesia præter Sacerdotium, alios Ordines, et majores, scilicet Diaconatum, et Hypodiaconatum, et minores, scilicet Acolytos, Exorcistas, Lectores, et Ostiarios. Verùm in hac definitione de industria abstinet ab adhibenda voce *tantum*, aliave simili, quemadmodum *Sess. VII. Can. I.* definierat de Sacramentis, ea nimirum non esse neque plura, neque pauciora, quam septem. Nonnulli enim æque Theologi, ac Canonistæ, quorum sententiam amplectimur, contendunt Episcopatum Sacramentum esse, et Ordinem à Presbyteratu distinctum; tum nonnulli Canonistæ primam Tonsuram in censu habent Ordinum inferiorum: ac demum in Ecclesia Græca plures olim fuerunt Ordines inferiores, quam modò habeat Ecclesia Latina: verùm de hoc capite satis egimus Libro super. *Tit. XXIII.*

(**) XII. In eo sedulam navabit operam Episcopus, ut omnem Simoniacæ pravitatis labem à Sacris ordinationibus avertat; nihil enim magis Ecclesia improbandum censuit, quam ordinationes obsequiis, et pecunia impetratas. Addeis Epist. II. Hormisdæ P. ad Episcop. Hispan. an. 521. *Cap. II.* Syn. Barcinon. an. 599. *Can. I. et II.* Tolet. VI. *Can. IV.* Tolet. VIII. *Cap. III.* Tolet. XI. *Can. VIII. et IX.* Bracar. III. *Cap. VIII.* Imò Episcopus ipse in sacris peragendis ordinationibus, vel minimam Simoniaci criminis suspicionem à se ablegare debet, ita ut neque ullo unquam titulo, prætextu, aut colore, vel exigi aliquid, vel aliquid spontè oblatum suscipi permittat. Syn. Valis-olet. *Cap. XX.* Hispal. an. 1512. *Cap. XXXIII.* et Trident. *Sess. XXI. Ref. capit. 1.* (*)

XIII. Illud denique hic advertere præstat, veterem Ecclesiam juxta Apostoli monitum I. ad Timoth. V. v. 22. *Manus cito nemini imposueris*, Clericorum potius paucitatem, quam multitudinem studuisse; quum in magna Clericorum copia vix esse nequeant, qui otio non torpescant, vel sæcularibus curis se non immisceant. Porrò ejusmodi fuisse veterem Ecclesiæ disciplinam pluribus evincitur.

Ac 1. uti Libro super. *Tit. XXIV.* jam ostendimus, quum antiquitus nefas fuerit Clericos ordinare Ecclesiæ alicujus ministerio non adscriptos, illud sanè in more erat, ut in singulis Ecclesiis nonnisi singuli, vel ad summum bini constituerentur Presbyteri, Clerici verò inferiores vix unus, aut alter. Ita Conc. Sardic. *Can. VI.* Conc. Carthag. III. *Can. XLV.*

Tum 2. ex Pontificali Romano Damaso tributo constat veteres R. Pontifices adeo parce Presbyteros, vel Diaconos ordinasse, ut centum, et quinquaginta annorum intervallo ab tredecim R. Pontificibus vix centum, et unum, ac quinquaginta Presbyteros, Diaconos verò nonaginta ordinatos invenias. Qui quidem licet omninò rari videantur; tamen Irenæus in Romana Ecclesia sua ætate frequentes fuisse Clericos scribit: *Lib. III. contra hæreses* apud Cotelierum in *Vindiciis Epist. S. Ignatii cap. 13.* Adpositè Bellarminus in Epist. ad suum Nepotem Episc. Teanensem: *Hæc certe paucitas tantorum Pontificum deberet omnes Episcopos serio admonere, ut nonnisi viros doctos, probos, et eo gradu dignos eligerent, quod omnino facerent, si decorem domus Dei ex animo diligerent.*

3. S. Leo M. *Epist. ad Afros LXXXVII. cap. 1.* referens illud Apostoli: *Manus nemini cito imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*, qua maxima potest tum animi, tum orationis contentione Episcopos admonet, ne ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere audeant. (**). At hæc Epistola suspectæ fidei videtur Berardo in *Grat. P. II. cap. 42.* (*) Profectò ubi hæc præ oculis haberent Episcopi, non adeo frequentes otiosis Clericis Dioceses essent, ne-

que Ecclesia haberet, unde quæreretur de multiplicata quidem gente, non de magnificata simul lætitia: S. Bernardus *de Convers. ad Cler. cap. 29.*

(**) 4. Syn. Arandens. ad Durium 1473. *Cap. III. Agri Dominici cultura non est indignis operariis committenda, sed illi duntaxat conducendi sunt in Domo Domini, qui secundum Apostolum sciunt, que sit longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum, et inter lepram, et non lepram discernere noverint. . . . quia tamen plerumque contingit ob defectum, negligentiam, vel dolum eorum, quibus ab Episcopis Ordinum examinatio committitur, quod indocti, et omnino ignari. . . . prædictis Episcopis presentantur. . . . Episcopos. . . . in virtute sanctæ obedientiæ monemus quatenus. . . . duos saltem viros idoneos scientia, et moribus adprobatos deputent, quibus officium examinationis committant, injungendo eisdem sub excommunicationis pœna, ut onus hoc sibi creditum fideliter exsequantur, neque quidquam dolo, prece, negligentia, munere, vel alias indebite agant.* Et quoniam examinis abolitum prorsus antiqua interrogationum forma, recentissimam amplecterentur ingenium experiendi methodum ab eruditissimo Benedicto XIV. inventam, quæ in nuper instauratis S. Isidori Matritensibus Scholis stabilita est pro eorum Magistrorum concursu. (*)

XIV. Instituti ratio vetat plura in hanc rem adferre; illud tamen hic subnectendum duco, veterem in hoc capite Ecclesiæ disciplinam nullam subiisse mutationem, neque à pristino statu aliquantum declinasse. Secutis enim temporibus haud rarò identidem antiquæ redintegratæ Sanctiones occurrunt; uti constat tum ex Capitularibus Regum Francorum, et Synodis per ea tempora habitis, tum ex Conc. Lateranensi III. *Can. V.* quo vetantur Episcopi *aliquem sine certo titulo in Diaconum, vel Presbyterum ordinare;* (**). et apud nos præf. Syn. Vallis-olet. *Cap. X.* his aureis verbis: *In Ecclesiis tot secundum Canones instituendi sunt Clerici, quot possunt de earum redditibus commode sustentari; ideoque statuimus, ut Episcopi, eorumque Superiores diligenter attendant, ut tot Clericos in Ecclesiis ordinent, quot sustentare possint de proventibus earundem, ne Clerici sua numerositate vilescant, et propter facultatum insufficientiam mendicare cogantur in opprobrium Ordinis Clericalis;* (*) id quod Innocentius III. ad Hypodiaconos etiam extendit: (**). dein Jo. Cardin. Sabin. in Syn. Ilerd. an. 1229. in *Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. IV. cap. 2.* (*) ac demum ex Conc. Trident. *Sess. XXI. Ref. cap. 2.* ubi sancitur, *ut nequis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et ætate ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.* Et *Sess. XXIII. Ref. cap. 16. Sancta Synodus vestigiis secti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate adsumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.* (**). In eandem abierunt sententiam Patres Syn. Tolet. an. 1565. *Act. III. Ref. cap. 2.* Episcopis injungentes, quod *Ecclesiarum ministeriis non alios deputent, quam eos, qui secundum consuetudinem cujusque Ecclesiæ in Altaris, et Chori vero Ecclesiastico ministerio, aut in his, quæ ad ordinarios ritus, et ceremonias Divinorum Officiorum pertinent, eisdem Ecclesiis servire debeant.* At quam sero eliminantur abusiones! Post viginti circiter ab his constitutis decretis in questus potius, quam verba præclariss. et nunquam sine laude nominandus Antonius August. in Syn. Prov. Tarracon. an. 1580. erumpit: *Si quæ a Sancta Tridentina Synodo de his, qui Ordines, vel conferunt, vel suscipiunt, accurate,*

sanctęque definita sunt. ea ab omnibus diligenter exactęque fuissent observata, jam nunc Ecclesius nostrę Provincię pluribus doctis, et probatę vitę Sacerdotibus, et aliis Ecclesiasticis viris, ex quorum exemplo totius populi Christiani reformatio pendet, magis decoratas haberemus. In Compil. Jo. Teres Lib. I. Tit. VII. cap. 4. (*) Non me latet laudato Cap. 2. Patres Tridentinos titulum Patrimonii, vel pensionis agnovisse, ac probasse; at illud quoque certum est, ejusmodi titulos ea duntaxat causa admisisse, si id Ecclesię necessitas, vel utilitas postulasset. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit adsumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Hęc Tridentinę Sanctiones novissima Concordatorum lege firmatę, atque adeo ad ordines etiam minores, primamque clericalem Tonsuram extense sunt. Cap. IV. n. 1. et 2. (**) Patrimonii verò, vel Pensionis titulus ideò inventus est, et à Syn. Trid. probatus, ne ob Beneficiorum raritatem necessario Ecclesię servitio Ministri deessent. Unde qui Patrimonii, vel Pensionis titulo ordinati sunt, non minus Ecclesię, cui tanquam necessarij adscripti sunt, adligati esse debent, quam Beneficij. Syn. Prov. Tolet. an. 1582. Act. III. Decret. 32. alias 33. Ea vero deputatio (sic progreditur) in Litteris Ordinum testimonialibus adscribatur, ut Visitatores a singulis ejus ministerii rationem exigant. Quod si inconsulto Episcopo locum, cui adscripti sunt, deseruerint, eis ex præscripto Tridentinę Synodi Sacrorum exercitium interdicitur. Sed quia plerumque evenire solet, ut nonnulli se ipsos fallentes, non Deum, simulatis donationibus cum tacito, vel expresso restituendi pacto, vel falsis etiam de industria conquisitis testibus, aliisque fraudibus conficta Patrimonia... ordinationis causa producant; si quis post hac (ita in Decret. præced.) falsa, confictaque hujuscemodi Patrimonia, vel commodata Beneficia, ut ordinetur, attulerit, ab executione ordinum ipso facto, quoad Ordinario visum fuerit, suspensus existat, ac præterea arbitrariis pœnis severe multetur. Illę Tridentinę Sanctiones de adscribendis cuidam Ecclesię ordinandis firmatę sunt, Bulla Apostolici Ministerii Innoc. XIII. §. 3. et Concordati an. 1737. Art. IV. et IX. etiam ad ordines minores, primamque Clericalem Tonsuram extense sunt. Videsis Lib. I. Tit. XXIV. (*)

XV. Coronidis tandem loco hic addam auream in hanc rem Benedicti XIV. Constitutionem, à qua mihi temperare non potui; ubi omnium retro R. Pontificum sapientissimus Papa universos Christiani Orbis Episcopos ita hortatur: *In id mentis vestrę acies primum dirigenda est, ut cum adcurato delectu, ii Clericali militię adscribantur, a quibus merito possit expectari, ut iis in lege Domini ambulantes, et de virtute in virtutem euntibus, eorum vita cunctis adferat venerationem, et eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem adferat utilitatem. Melius enim profecto est paucos habere ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri. Apostoli præceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de promovendis ad sacros Ordines, et ad Sacratissima Mysteria, quibus nihil est divinius, agendum sit.*

CAPUT SEXTUS.

DE PœNITENTIA.

I. Sacramentum Pœnitentię olim ab antiquis Ecclesię Patribus *Confessio, Manuum Impositio, Fiaticum, Secunda Tabula post naufragium, Laboriosum*

*Baptisma, (**) Pœnitentia, Benedictio, Communio, (*)* aliisque adpellationibus designatum, tribus potissimum partibus, quasi materia constat, scilicet peccatorum confessione, contritione, et satisfactione, sive potius proposito satisfaciendi; (***) quibus verborum expressionibus usa est Syn. Penna-fid. an. 1302. Cap. IV. (*) formam verò constituit absolutio, quę antiquitus enuntiabatur verbis deprecativis, at secutis temporibus proferri cępit verbis indicativis; quod et hodie obtinet, ac Rituale R. præscribit. Eugenius IV. in Decret. pro Armenis. Syn. Trid. Sess. XIV. de Pœnit. cap. 6. (1)

II. Prioribus Ecclesię sæculis, atque adeò fere ad sæculum usque XII. triplex in Ecclesia, viguit Pœnitentię genus, scilicet Solemnis, sive Canonice, Publice, et Privatę; (***) adhuc tamen secutis temporibus viguisse partim publicę pœnitentię usum ediscimus ex Syn. Cojac. an. 1050. Cap. IV. et ex Syn. Tolet. an. 1323. Cap. XVIII. (*) Verùm de hoc veteris disciplinę capite late agemus in nostris Antiquitatibus Christianis, uti etiam de Canonibus, et Libris Pœnitentialibus. Illud hic duntaxat observare præstat, veterem Ecclesię disciplinam in pœnitentia solemnī, et publica injungenda non esse omninò abolitam. Synod. enim Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 8. decernit, ut ubi de criminibus agatur, quę publice, et coram multis sint perpetrata, condignam pro modo culpę pœnitentiam publice injungi oporteat: verùm facultatem Episcopo tribuit, qua possit publicum pœnitentię genus, in aliud secretum commutare, si id conducere judicaverit. Adhęc solemnem etiam pœnitentiam etiamnum Episcopis in Pontificali exhibit Ecclesia, ejusque ritum exacte describit, ut pro temporum, locorum, atque criminum gravitate, et personarum qualitate eam reducant. Huic autem injungendę Dies cinerum; quemadmodum publicę absolutioni Feria V. in Cœna Domini aptissimum judicatur tempus: (***) Constit. Syn. Valent. an. 1255. Constit. de Confess. (*) et Pontificale R. Part. III. num. 2. et 3. S. Carolus Borromæus ad utriusque publicę, ac solemnē pœnitentię instaurationem Episcopos, Parochosque hortatur in suis Synodis. (***) At hujus Canonice pœnitentię pœne nullum vestigium hodie videmus. (*)

III. Septem prioribus Ecclesię sæculis non modo in gravissimis delictis, verùm et in minoribus reservata Episcopo erat facultas pœnitentes reconciliandi: S. Cypr. Ep. II. Syn. Carthag. III. Can. XXXII. (***) Et Hispal. II. an. 619. Can. VII. Verùm ex hac lege idem Canon Carthaginensis videlicet eum eximit, qui in extremis ageret, hic enim poterat à Presbytero reconciliari, alioqui à solo Episcopo, vel eo jubente à Presbytero. Syn. Illiberit. Can. XXXII. (*) Nam Canonicam inter, et simpliciter publicam Pœnitentiam id discriminis intercedebat, quod illa non nisi ab Episcopo publice in Ecclesia ante Apsidem per manuum impositionem injungeretur, qua peracta eadem sollemnitate fiebat reconciliatio; hæc verò pro occultis peccatis quemadmodum secreto ab Episcopo, vel à Presbytero Episcopi auctoritate imponebatur, ita, ea peracta, etiam reconciliatio occulte, fiebat, et quidem vel ab Episcopo, vel Episcopo absente, ipso etiam inconsulto, à simplici Presbytero. (***) Syn. Hispal. II. laud. Can. VII. (*)

IV. Jam verò post sæculum VIII. uti publica pro occultis peccatis pœnitentia in desuetudinem abiit, ita quoque occultorum criminum pœnitentiam Presbyteris concessam fuisse creditum est, publicorum tantummodo Episcopis reservata. Hoc autem non de omnibus promiscue Presbyteris intelligas, sed de iis duntaxat, qui

(1) Vide LL. 18, 23, 30 et 37 tit. 4 part. 1. et L. 1. tit. 11 lib. 8 Novissimę Recop. quę præcipitur sub pœna pecuniaria Medicis et Chirurgis, ut infirmos periculosę sese confiteri admoneant. A1